



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Pisano Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

si quis vestrum adversus regnum ipsum quicquam habuerit quaestionis. Datum Laterani v. Idus Maij, anno undecimo.

PISANO ARCHIEPISCOPO.

*Epist. 81.
De confirmatione privilegiorum.*

GRATA civitatis Ecclesiaeque Pisanae servitia jamdudum apostolicae sedi exhibita meruerunt quod eas privilegiis multis & magnis studuit decorare. Nos ergo, qui devotis eidem sedi beneficia minuere non intendimus, sed augere, praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, dignitates, immunitates, & libertates quas Ecclesia tua temporibus praedecessorum tuorum noscitur habuisse, duimus innovandas, & ut tu, qui eis in ipsius regimine successisti, possis liberius illis uti, privilegia, confirmationes, & indulgentias universas eidem Ecclesiae seu praedecessoribus tuis a praedecessoribus nostris vel a nobis ipsis concessas tibi ac per se ipsi Ecclesiae auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostrae confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

*PREPOSITO, DECANO,
Cantori & Capitulo majoris Ecclesiae
ac universo clero Maguntino.*

*Epist. 82.
Vt mandata sedis apostolicae humiliter recipiant.*

EX litteris vestris accepimus quod etsi ad tempus excommunicatis communicandum duxeritis, ad id faciendum non studij vestri voluntas, sed vera & non simulata necessitas vos induxit; quia tantae hostilitatis furor in vestris partibus inolevit quod, ut de aliis taceretis, civitatis vestrae muros salvis personis exire nullatenus poteratis, nec nuntios qui apud nos excusationem vestram proponerent destinare. Ac licet super innocentia vestra validas & sufficientes possletis inducere rationes, benignitati tamen nostrae quam disputationi potius innitentes, de mandato venerabilis fratris nostri Hogulini Hostiensis Episcopi & dilecti filij Leonis tituli sanctae crucis Presbyteri Cardinalis sedis apostolicae Legatorum a dilecto filio Abbate de Eberboch absolutionis beneficium recepistis; qui juxta mandatum ipsorum sub debito juramenti quod praestiteratis eidem vobis dedit firmiter in mandatis ut duos ex vobis, & tales quibus fidem possemus merito adhibere, infra Dominicam qua cantatur *Latare Ierusalem* ad sedem apostolicam mitteretis mandatum apostolicum recepturos. Cumque dilectus filius Fredericus scholasticus sancti Victoris &

Cunemannus Canonicus Ecclesiae sancti Stephani nuntij vestri ad nos ex parte vestra cum ipsis litteris accessissent, nobis humiliter supplicarunt ut vobiscum misericorditer agere dignemur. Nos igitur committentes vos Legatis eisdem, per apostolica vobis scripta praecipiendo mandamus quatenus mandatum quod ab ipsis Legatis vel a nobis per litteras nostras fuerit vobis injunctum recipiatis humiliter & servetis. Datum Laterani Idus Maij, anno undecimo.

*DILECTO FILIO IOHANNI
sanctae Mariae in Cosmidin Diacono Cardinali, S. R. E. Cancellario.*

CVM quandam vvalkeriam in fundo sanctae Mariae in Cosmidin ad Cardinalem ipsius Ecclesiae pertinentem sumptibus tuis construxeris, nobis humiliter supplicasti ut de ipsa vvalkeria taliter disponere dignemur, videlicet quod postquam ex ejusdem proventibus debitum Ecclesiae fuerit persolutum, medietas proventuum provenientium ex eadem ad Ecclesiam devolvatur, de reliqua medietate fiant duae partes, quarum unam habeat Cardinalis qui pro tempore fuerit, & reliquam hospitale per ipsius Cardinalis providentiam & consilium dispensandam. Nos igitur tuis precibus inclinati, sicut praemissum est statuimus & praecipimus inviolabiliter observari. Nulli ergo &c. nostrae constitutionis & praecipionis &c. Si quis autem &c. Datum &c.

*Epist. 83.
De quadam vvalkeria.*

*ABBATISSAE ET CONVENTUI
sanctorum Anastasij & Innocentij
in Gandershem.*

CVPientes olim monasterij vestri privilegia renovari, nobis humiliter supplicastis ut personis aliquibus scribere dignemur, quae privilegia Ecclesiae vestrae, quae propter viarum discrimina tute non poterant ad nostram destinari praesentiam, inspicerent diligenter & conferberent fideliter tenorem ipsorum sub sigillis propriis consignatum nostro conspectui praesentandum. Vnde nos vestris supplicationibus inclinati, quatuor Episcopis & totidem Abbatibus hoc injunximus exequendum. Qui mandato nostro parentes, felices recordationis Agapiti & Iohannis praedecessorum nostrorum privilegiis praesentatis sibi diligenter inspectis, eorundem tenorem ad nos sub sigillis suis fideliter transmiserunt. Praeterea bonae memoriae Guillelmus Remensis Archiepiscopus

*Epist. 84.
De confirmatione libertatis ejusdem monasterij.
Vide cap. Cum dilecta. De confirm. ut quibuslibet.*